



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

Bucelin, Gabriel

[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.

Auctoris Protestatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38498

BENEDICTUM REDIVIVUM damus non qualem voluimus, sed qualem potuimus, magnis conatibus summaque industria adornatum, sed injuria temporum, omni commercio non profano solum, sed & sacro & literario prorsum intercepto, ipsis quoque studijs & ad hanc summè necessaria quiete & solitudine turbatissimis, sed & animis unversali Europa in cruentissima concitatione in odia & suspiciones distractis, ipsorum etiam Religiosissimorum hominum, est diversissimarum nationum, longè tamen amicitiae aetudine in unum & unanimum rei bene gerende consensum, non sine Divini Spiritus impulsu convenientium & collaborantium, quin & symbolas omni dignas immortalitate conferentium & mutuo communicantium, his ferè omnibus tanta tempestatis turbine dissipatis, ut ut post ingentia promissa me planè desererent, omnem respondendi occasionem in suspensionem & pericula traherent, adeoque omni Amicitiae renunciare viderentur. Et magnam sanè opus paraveramus, incredibili hinc inde missione litterarum, summisque precibus sollicitatum, felicissimis mihi successibus, donec infelicissima S T A T U S R A T I O totam in arma Europam excitaret, omnemque cum Amicitiae felicitatem exsufflaret. Exsufflavit hæc eadem tempestas omnes conatus meos, eoque distraxit, ut vix hinc inde quandoque aliquid colligerim, & colligere penè desperaverim, dum ad pleraque litteras nec verbulum responsi acciperem ab illis etiam, quos plurimis obsequijs arte demerueram, & qui ultronei olim fuissent, ad res Operi meo inservituras copiosissimè communicandas. Id talibus inhiant quantum doluerit, explicare nunquam satis potero, uti nec deinceps tantum dolorem dedolere, ut proin sapius calamum abiecerim, solo abominabilis ortu tædio abjectum resumens, & que quasi ex naufragis collegeram, spolia in ordinem aliquem redigens, & juxta Christi monitum: Colligite fragmenta ne pereant, paucula hujus libri consarcinans, usui saltem hys futura quibus meliora tempora obtigerint, quibus talia securius & feliciter ad sacra posteritatis solatium, & exemplum procurentur & evulgentur.

Certè quanti referat recentioribus erudiri quàm antiquioribus, argumento sunt viæ duces, quorum etiam hodie, vijs dubijs, caliginoso tempore anxij vestigia premimus, & vel maxime cum tot pericula imminerè certè sumus, incerti de evadendis, ut merito manu duci exambiamus; Tales (ut Raphaelem Tobie Comitem ac Ducem) tales inquam, & quidem nos paucos, hoc ipso Opere producimus, quorum ductu à recta semita viæ ac vitæ aberrare nequeamus. Recentissima vestigia, recentissima exempla obscurissimi sæculi & frigidissimi sunt inter frigus & gelu plus quam Islandica firmissimo & ferventissimo generosissimi pedis Calcæu alie impressa, semitam & Comitem rectum infallibiliter docentia, ut haud modicum inde utilitatis speremus recentissima hæc adeoque calentissima etiam tantas inter nives & glaciem vestigia tentantium & aggredientium, ut aggregandos Benedicto REDIVIVO plurimos (nisi omnino, ejurate propriae Voluntatis revocatores, Regularum & sacre discipline juratissimos hostes) quam confidentissimè nobis polliceamur. Ita juxta Amplissimo & Sanctissimo Ordini apprecamur, omniamur, & non dubij tanto antè gratulamur.

AUCTORIS PROTESTATIO.

Sufficientes venerabundi quæ Sanctissimus D. N. URBANUS Papa VIII. 13. die Martij anno 1625. in sacra Congregationis Sanctæ Romane & Universalis Inquisitionis Decreto edidit & denuo die 5. Julij anno 1634. confirmavit, de non edendis Sanctorum sive Beatorum à S. Sede Apostolica non approbatorum gestis, nisi prævia approbatione Ordinarij, & protestatione ea, quæ scribantur, non alia fide quàm humana tradi, nos decreto ejusmodi obedientissimè accommodantes & devotè insistentes, si quæ alia, quàm ab eadem approbata Sede. Tam in Menologio nostro, ejusque Auctario, quàm alijs Operibus, Annalibus Benedictinis. BENEDICTO REDIVIVO, cæterisque in lucem dedimus, seu daturi sumus, sponte & ultro profitemur, nos alio sensu & mente accipi nolle, quàm quæ humanà duntaxat auctoritate, non autem Divinà S. R. E. & Sedis Apostolicæ auctoritate subnixæ sunt, hys exceptis, quæ ipsa Sedes Apostolica Sanctorum Catalogo, jure merito adscriptæ, & Orbis Christiano commendavit.

P. F. GABRIEL BUCELINUS
BENEDICTINUS.

BENE-